

Nam hic numerus semper est exiguus, eamque
ad rem hoc accedit in commodi, propter pauci-
tatem friget studium. Nam frequens sodali-
cium & exemplo invitat discennes, & collatio-
ne inventorum adiuvat. Porro in cæteris arti-
bus minus multa sunt abstrusa. Hic quanta
rerum varietas est, in quas omnes unus artit
fex vix intendere animum pariter potest, qui
etiã si per se se satis instructus est arithmetica
& geometria, tamen socijs opus habet ad ob-
servationes, ad varias supputationes, ad tabu-
larum seu compositiones seu emendationes. E-
rant igitur invitanda ingenia legibus & libera-
litate publica ad has artes tuendas & colen-
das. Sed quo hæc tempore? in qua natione dis-
serimus? Quæ fuit ætas magis inimica Philo-
sophiæ, quam hæc ipsa, in qua & domesticis dis-
sensionibus & externis bellis impediuntur hæ-
rum nostrarum artium studia? Nostræ artes
veritatem & modestiam amant, ac ad has ip-
sas virtutes adsuefaciunt animos, quæ in discor-
dijs civilibus sine ullo honore sunt. Deinde nec
Turci concedent ocium vel gubernatoribus, ut
ut inspicere studia nostra possint, vel his
scholasticis cœtibus, quibus opus est tran-
quilla sede. Qua de re cogitans & ingenti do-
lore adficio, & sevitiã factorum admiror. Ini-
tia in prioribus Monarchijs omnibus salutaria
fuerunt